



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Theobaldo Episcopo Ambianensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

mus & inane. Super his autem, omni gratia & timore postpositis, taliter procedatis quòd prudentiam & devotionem vestram debeamus merito commendare, nec in eo incurratis offensam ex quo debetis gratiam promereri, cum veritas nobis nequeat occultari. Datum Laterani VII. Kalendas Februarij.

*THEOBALDO EPISCOPO
Ambianensi.*

*Epist. 279.
Statutum &
ordinationem
quandam ipsius
confirmat.*

EX parte tua fuit in audientia nostra propositum quòd cum Ecclesiam de Petromoso tuæ diocesis penè penitus desolatam pietatis intuitu repararis, licet ea tibi fuerit per sedem apostolicam confirmata, ipsius tamen volens statui providere, in ea de consilio dilecti filij nostri P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, apostolicæ sedis Legati, & aliorum multorum, quatuor religiosas personas providè statuisti, quarum una præsit ceteris in observantia ordinis regularis, & omnes pariter tibi & successoribus tuis in spiritualibus & temporalibus debeant respondere, ita etiam quòd ad te & successores tuos tam spiritualium quàm temporalium administratio & ipsarum pertineat institutio personarum. Nos igitur quòd à te providè factum esse dignoscitur, ratum & firmum habentes, institutionem ipsam, sicut rationabiliter facta est, recepta, & hæcenus observata, auctoritate apostolica confirmamus, districtius inhibentes ne aliquis successorum tuorum præsumat numerum præscriptarum diminuere personarum. Nullo ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis & inhibitionis infringere &c. Datum Laterani V. Kal. Februarij.

*COMITIBVS, BARONIBVS,
Bajulis, iudicibus, civibus, & universo
populo in regno Sicilia constitutis.*

*Epist. 280.
Ut cum Legato
apostolico in
regni conservacionem opes
& consilia
conferant.*

Quantum apostolica sedes non solum in regno vobis contra hostes affuerit, sed extra regnum etiam gravaminibus vestris non incassum sed utiliter potius studuerit præcavere, dissolvens laqueos qui in personarum vestrarum oppressionem & rerum dispendium tendebantur, ex parte, sicut credimus, vestra universitas jam cognovit. Qualiter etiam nostris sumptibus non semel sed sæpe obviaverimus conatibus iniquorum, quantum utiles fuerimus vobis & regno, & vos intelligitis per vos ipsos, &

opus testimonium perhibet veritati, cum, nisi fallimur, immo quia non fallimur, aliter hodie Marcovaldus & complices ejus prævaluissent in regnum, nisi per nos prudenter & potenter tam spiritualiter quàm temporaliter fuisset machinationibus eorum occursum. Et licet non solum sollicitudini nostræ, sed nec expensis etiam hæcenus vel in modico sit responsum, quia tamen vobis deesse nec volumus nec debemus, dilectum filium nostrum C. sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, & venerabiles fratres nostros Neapolitan. & Tarentin. Archiepiscopos, & nobilem virum I. Marscalcum & confobrinum nostrum, in regnum Sicilia, in eo ipsis vice nostra commissa, cum exfortio militum ad debellandos hostes & solidandum regnum duximus destinandos, credentes quòd non solum proventus regni deberetis in stipendia militum erogare, sed de vestris etiam non modica liberaliter elargiri, utpote quibus melius esset pro statu regni univèrsæ expendere quæ haberetis, quàm denuo per Marcovaldum & fautores ipsius gravissimè subjici servituti: quorum tyrannidem etsi omnes vel ferè omnes de regno in rebus, multi tamen majores & potentiores in personis etiam sunt experti. Monemus igitur universitatem vestram, & per apostolica scripta tam ex parte nostra quàm Regis districtè præcipiendo mandamus, quatenus Legatum ipsum & socios ejus recipientes humiliter & devotè, & in subsidium vestrum ac regni & exterminium hostium juxta mandatum ipsorum potenter & viriliter assurgentes, eis de regni proventibus in subsidium expensarum & stipendia militum respondere curetis; cum quod quibusdam ex vobis hæcenus pro necessitate temporis ad munitionem urbium & castrorum indulgum fuerat vel permissum, velimus necessitate cessante cessare. Alioquin nos de cetero apud Deum & homines erimus excusati, si quid vobis adversi contigerit, cum vobis ipsis nolitis adesse. Licet enim multa nobis & magna promissa fuerint & oblata, univèrsa tamen pro vobis quasi stercora curavimus reculare. Et pro certo, nisi nostra vos defendat auctoritas, experimento probabitur qualiter sine nobis vestra vos non possit potentia defendere. Datum Laterani III. Nonas Februarij.

MAGISTRO

*Vide supra,
epist. 200. 145.*